



Disciplinae Speculativae generales à se invicem per abstractionem à materia
 sensibili ita distinguuntur, quae triplicem modum habet abstrahendi à ma-
 teria Physica et Sensibili, quorum singulas singula etiam convenit Disciplinae:
 1. Si abstractio fit solum à materia signata i. singulari, quo modo homo abstra-
 hitur à materia non, omni, sed singulari solum seu conditionibus individualibus,
 et talis abstractio est, quae assignatur Physica. 2. Alia abstractio fit à materia et signata
 et universaliter secundum rationem; quomodo dicuntur ea abstrahi, quae in materia
 eadem reperiuntur, et existunt solum, sed tamen tunc abjunguntur in apprehensione
 sua ab omni materia sensibili: Sic quantitas quidem per se est in materia sensibili,
 sed tamen à mathematico apprehenditur sine materia sensibili: et ejusmodi ab-
 stractio secundum rationem competit Mathematici. 3. Alia denique abstractio est, quae
 fit à materia secundum rem et rationem, uti solet in iis, quae non solum in ap-
 prehensione intellectus sine materia concipiuntur, sed etiam reperiuntur, et saltem
 ut sic materiam non habent. Quo modo DEUS et Angeli abstrahunt à materia se-
 cundum rem et rationem, quia hi nec apprehensione mentis concipiuntur cum materia,
 nec etiam aliqui vere habent materiam, et hic estis modus, quem Metaphy-
 sica sibi unice vendicat.

In Metaphysicis alia tractantur per se et immediate et propter disci-
 plinam ipsam: alia à mediata et per accidens, et propter disciplinas
 alias, quarum subiecta praecognoscere debet Metaphysica.

Ob K. F.
 W. F.

iz JC

Signat!

~~SSI~~



27
SPECIALIS
METAPHYSICÆ
DISPUTATIO VII.
De
QUALITATIBUS, EA-
RUMQUE SPECIEBUS,

Et imprimis de
HABITIBUS,

Quam
Auspicio Summi Numinis,
SUB PRÆSIDIO

M. JOHANNIS SCHARFII,
Croppenstadiâ Halberstadenſis Saxonis,
Amplifs. Facult. Philof. Adjuncti,

In
incluta WITTEBERGENSIUM ACADEMIA
Publico examini submittit

BENEDICTUS CHRISTIANIBRANDEN-
denburgensis Marchicus.

Ad diem 20. Mart. boris à. 7. matut.

In Auditorio Philosophico.



WITTEBERGÆ,
Ex Typographéo CHRISTIANI THAM,
Acad. Typogr.

ANNO MDCXXIV.

OPUScula

OPUScula

OPUScula

OPUScula

ANNO MDCCXXII





SPECIALIS METAPHYSICÆ
DISPUTATIO SEPTIMA.

CONTINUATIO.

Dost Quantitatem commodè agitur de Qualitate. Ut enim illa ex materiâ oritur: sic hæc quàm maximè concomitatur formam: Unde & mutuò ad se invicem ordinantur. Solent quidem alii hic multùm disputare de ordine: An Quantitas præcedat qualitatem nec ne: in qua dum altercantur, parum in rerum cognitione proficiunt. Nos opera & studio majori in rebus versabimur.

THESES.

I. *Qualitas latissimè sumpta denotat quamvis formam, quæ aliquod subjectum dicitur quale, ut Arist. docet lib. Categ. cap. 8. Quomodo etiam formæ substantiales, differentiæ specificæ, & substantiæ secundæ, dici solent qualitates, eò, quod aliquo modo se habeant instar formæ.*

II. *Illà verò acceptio nimis lata est & impropria. Debet enim qualitas contradistingui substantiis & Essentialibus: cum sit accidens. Ergò hic unicè accidentalem qualitatem urgeamus & acceptemus.*

III. *Nec etiam in toto genere accidentium hîc qualitas obtinet, quomodo generatim pro quovis accidente substantiæ & contradistincto accipi solet: ut quando Porphy. ait, accidentia omnia predicari in quale, hoc est, dicere Qualitatem quandam subjecti.*

IV. *Non enim quale predicabile, nec qualificativa predicandi ratio, nunc in disquisitionem venit: sed qualitas predicamentalis, quæ certum & peculiare accidentium genus ab omnibus aliis distinctum constituat. De hac qualitate specialiter dicta, nunc unicè disputandum est.*

V. Dico itaque, quod *qualitas sit accidens, & quidem tale, quod substantiam seu subjectum suum per modum intrinsece & essentialis formæ qualificat, seu determinat & perficit.*

VI. Licet enim tum *quantitas*, tum *relatio & actiones* nonnullæ, tum etiam *passiones*, intrinsecus afficiant subjectum; *non tamen per modum Essentialis formæ determinant ac perficiunt.*

VII. Non quidem *Quantitas*: quia hæc *materiam potius, quàm formam imitatur*: nec tam subjectum perficit ad operandum, quàm ad patiendum disponit.

VIII. *Relatio verò nec perfectionem dicit, nec imperfectionem*, ut multi probabiliter adserunt: *nec tam subjectum, in seipso, quàm in ordine ad aliud perficit.*

IX. *Actio verò & passio non tam formæ, quàm formarum actus* dici debent & *subjecti mutationes.*

X. Quare *sola Qualitas est, quæ per modum Essentialis formæ subjectum proprie perficit, & intrinsecus denominativè actuat.*

XI. Hinc ab Eustachio tom. 1. sum. Phil. tract. 3. de Categ. sect. 3. ita definitur: *Qualitas est Accidens Entitativum absolutum, quod subjectum suum ad modum formæ substantialis determinat.*

XII. Suarez ita definit. *Qualitas est Accidens absolutum adjunctum substantiæ creatæ ad complementum perfectionis ejus tam in existendo quàm in agendo.* Cujus explicationem vide apud ipsum disp. Metaph. 62. sect. 1.

XIII. Nec incommoda est *Philippi descriptio*, quando dicit, *qualitatem esse, per quam substantia est efficax, seu quæ movet sensus.*

XIV. Patet autem *Qualitas hæc latissimè & sua amplitudine omnia alia accidentia absoluta superat*: possunt nihilominus *ejus species quadruplici divisione representari, & aliquatenus comprehendi*, ita nimirum ut *omnis qualitas*
vel

vel 1. sit *habitus* & *dispositio*, vel 2. *Potentia naturalis* & *impotentia*, vel 3. *Patibilis qualitas* & *passio*, vel 4. *Forma* & *Figura*.

XV. Quatuor ergo sunt *species Qualitatum*, & quævis duobus distinctis vocabulis effertur ob summam illarum latitudinem & amplitudinem: ne obscuritas oriatur in commemorandis qualitatum speciebus, si forte unum vocabulum ad ostendendam qualitatum varietatem non sufficeret, nec distincte satis exprimeret omnes suas species.

XVI. Primam ergo qualitatum speciem absolvunt *Habitus* & *Dispositio*, quæ duo saltem gradibus & accidentaliter distinguuntur, non vero specie aut essentialiter. Nam *dispositio hic est imperfectus habitus, vel inchoamentum habitus*.

XVII. Alias quidem vox *dispositionis* valde ambigua est, & sumitur 1. *pro prævia materia seu subjecti alicujus preparatione ad formam commode recipiendam*: ut in *Physicis*. 2. *pro situ seu positura corporis & partium ejus*, quomodo peculiare prædicamentum *Situs* constituit. 3. *latissime sumitur pro ordine quarumvis partium*: quomodo apud *Rhetores dispositio orationis dicitur conveniens collocatio partium in propriis locis, & cum debita proportione*. Sic in *Logicis Figura* dicitur *dispositio debita terminorum*. 4. *sumitur dispositio pro habitu inchoato*, qui nondum firmiter inhæret in subjecto.

XVIII. Priores acceptiones non sunt hujus loci. Nam ita sæpè non distinguitur habitus à dispositione. Ita late loquendo de dispositione rectè *Aristoteles 4. Metaph. text. 23. ait, quod habitus sit Dispositio, secundum quam benè vel malè disponitur dispositus*. Sed ultima acceptio, quæ pressior est, hoc loco obtinet. Sic enim habitus distinguitur à dispositione, licet non re, tamen ratione.

XIX. Igitur *Dispositio hic est qualitas inchoata, qua incipimus esse apti & propensi ad aliquid agendum*. Quæ quia nondum fideliter & penitus est accepta, facile excutitur &

Iterum amittitur, uti apparet in iis, qui incipiunt aliquid addiscere, mox verò desistunt, antequam perfectè artem illam dedierint; ii sanè subito iterum obliviscuntur eorum, quæ ceperant tenere.

XX. *Vox Habitus* itidem est ambigua. Sumitur 1. *adjective & participaliter pro omni eo, quod habetur, sive substantia, sive accidens aliquod persideatur.* De qua acceptio-
ne *habere* docetur in *Postprædicamentis*. 2. accipitur *ut nomen generaliter pro omni eo, quod opponitur privationi, hoc est, pro omni bono, vel formâ positiva, quæ per privationem auferri potest.* Sic dicit *Aristo: à privatione ad habitum non dari regressum.* 3. Sumitur *habitus pro circumjacentiâ indumentorum, & pro omni eo, quod corpori tanquam indumentum aut ornamentum adjacet: quo modo constituit ult. prædicam: 4. Habitus accipitur pro qualicunq; rei dispositione aut modo: adeoq; pro forma & qualitate quavis, quâ subjectum vel benè vel malè disponitur.* Sic *sanitas* dicitur *habitus corporis.* Et denique 5. *Habitus* hoc loco accipitur *pro tali forma accidentali, quæ confert facilitatem & promptitudinem operandi.*

XXI. Hæc ultima *Habitus* acceptio hic constituit primam qualitatis speciem. Ita nunc hic *Habitus & dispositio* ponuntur pro una eademq; specie qualitatis, quæ cum leviter inheret, appellatur *dispositio*, cum verò firmiter, appellatur *habitus.* Differunt ergò ut *imperfectum & perfectum.* Scilicet: *dispositio* est primum *habitus* rudimentum, sed *habitus* est ejus consummatio & actus perfectus. Itaque sicut homo idem potest ex puero in virum evadere, non mutata specie: ita eadem numero qualitas potest ex dispositione fieri *habitus.*

XXII. *Habitus* ergò est *qualitas plenè contracta & alte impressa, sive paucis sive frequentibus actionibus, qua apti sumus ad aliquid agendum, & quia altius sedit, agrè excutitur.*

XXIII. Alias ita definitur: *Habitus est qualitas crebris exer-*

exercitiis comparat a secundum quam subjectum, in quo firmiter
baret, promptum est ad actiones facile & cum delectatione
exercendas.

XXIV. Variè autem habitus dividuntur. Primò *Habitus* sunt vel *Infusi* vel *Acquisiti*. Illi dicuntur, qui divinitus
per influxum solius DEI obtinentur: sive ejusmodi habitus
extraordinariè concedantur, ut in Apostolis dona lingua-
rum, miraculorum: sive *ordinariis mediis* à DEO in nobis
excitentur, ut in piis sunt *charitas, fides, spes*. De quibus
Theologi agunt fusius.

XXV. *Habitus acquisiti sunt*, qui per actus proprios la-
borantis efficiuntur & nostris studiis sive laboribus comparantur.
Aliàs dicuntur *Instrumentales*. Ad quos requiruntur tria. 1. *Φύσις*,
2. *μέθοδος* seu *τάξις*, & 3. *παρασία* seu *ἀσκησις*. Si namque de-
bet comparari habitus ab aliquo, necessum est, ut in ipso
sit idoneitas nature. Deinde debet informari. & tertio sese ex-
erceat. Quæ tria in studiis liberalibus perquàm necessaria
sunt.

XXVI. *Habitus acquisiti sunt* vel *Intellectuales* vel *Mo-
rales*. Illi sunt in intellectu, seu animo, quem perficiunt:
indeque nomen habent. Suntque vel *Instrumentales* vel
Principales.

XXVII. *Habitus Instrumentales* seu *Organici* sunt, que
unicè propter alios sunt habitus, neque in se habent utilitatem
terminatam, ob quam appetantur. Quales sunt *Logica, Gram-
matica, Rhetorica*, quibus additur & *Poetica*. De quibus
suo loco rectè agitur. Aliàs dicuntur *Minusprincipales* ha-
bitus.

XXVIII. *Habitus Principales* sunt, qui in se, per se &
propter se digni sunt ut addiscantur vel appetantur, quales nu-
merantur quinque, 1. *Intelligentia*. 2. *Scientia*. 3. *Sapien-
tia*. 4. *Prudentia* & 5. *Ars*: de quibus vide lib. 6. *Ethic.
Nicomach*:, itemque interpretes *Ethicos* ibid.

XXIX

XXIX. De omnibus istis distinctæ habentur disciplinae, ut Sapientiam profitetur *Metaphysica*, itemq; Theologia: scientiam evolvunt *Physica*, *Mathesis* & *Pneumatologia*: Prudentiam excolunt *Ethici*, *Politici* & *Jurisperiti*: Artes tractant *artifices*. Unica illa *Intelligentia* superest, de quo habitu peculiaris & distincta disciplina hactenus nondum est conscripta, debuisset tamen. Neque verò putes, quod hoc fieri non possit. Nam & *Objectum suum* habet *distinctum Intelligentia habitus*: Inde q; habet *sua principia cognoscendi*, *sua propria nã* seu *affectiones*, & *in species analogicas subdividi potest*. Quid ergo desit, quo minus tractationem peculiarem suo jure exposceret *Intelligentia*?

XXX. *Morales habitus sunt Virtutes Ethicae*. Itaque in illis explanandis *Ethica* desudat.

XXXI. Porro alteram *Qualitatum speciem* absolvunt *potentia naturales* & *Impotentia*. *Potentia naturalis* est facultas à natura insita, quã quævis res fortiter agere potest aut resistere. Sed *Impotentia naturalis* est imbecillitas ingenerata, quã ægrè res operantur aut resistunt.

XXXII. Notat *Eustachius in summ. Philoso: tract. 3. de Categ.* quod hic *Impotentia non significet privationem; sed potentiam debilem*: Unde non distinguuntur specie. Neque enim, *facultas videndi in juvene differt specie à facultate videndi, quæ est in senè*.

XXXIII. *Variaæ autem potentia dantur naturales tum spirituum*, de quibus *Pneumatologia* fufius agat: tum *corporum* & *animæ*, de quibus passim præcipitur in *Physicis*.

XXXIV. Hic saltem notetur, quod *potentia sit vel prima vel secunda*. *Prima est, quæ proxime ex formâ subjecti fluit*, ut *facultas sentiendi* ab *animâ sensitivâ*: *Facultas loquendi, ridendi, intelligendi &c.* ab *animâ rationali*: *Et hæ potentia prima sunt proprie dicta propria accidentia*, quæ per naturam non possunt tolli sine corruptione subjecti.

XXXV.

XXXV. *Potentia secunda est dispositio in organis, per quam illa prior potentia deducitur in actum, ut in animali est certa temperamenti dispositio in organis, utpote in oculis est dispositio humorum, nervorum, per quam alius acutius videt clariusque præ alio.*

XXXVI. *Tertiam speciem Qualitatum constituunt Patibiles Qualitates & Passiones, quæ ita dicuntur, vel quia causa, vel quia effectus passionum: ad quas passio se habet ut dispositio ad habitum. Sunt enim subitæ tam animi, quam corporis perturbationes.*

XXXVII. *Rectè etiam ipse Philosophus hic monet, patibiles qualitates & passiones ita appellari, non quod omnes ex passione aliqua nascantur, sed quod omnes passionem aliquam in sensu efficiant.*

XXXVIII. *Quare hæc pertinent ea omnes, & quidem sola qualitates illæ, quæ per se sunt sensu aliquo perceptibiles. Dico per se sensibiles, ut excludam formam & figuram, quæ per aliud, nempe ratione luminis, coloris & quantitatis, sensu percipitur, non vero per se.*

XXXIX. *Hinc ergò patibilis qualitas est potentia activa in objectis sensuum, qua sensus vel externi vel interni passione aliquâ afficiuntur: vel ut vulgo describuntur: Patibiles qualitates sunt, quæ vel sensus afficiunt, vel à passione oriuntur, ut sunt objecta sensuum, color, lux, sonus, odor, sapor, calor, frigus, humor, siccitas, durties, mollities, &c. de quibus omnibus in Physicis agitur.*

XL. *Passiones hic sunt affectus subitanei & breves, quos objecta sensuum in nobis efficiunt. Ut ira, amor, spes, odium, pallor, rubor ex verecundia enatus. De quibus affectibus partim Physici agunt in doctrina de Anima, partim Ethici, ut notum est.*

XLI. *Quoniam verò illæ qualitates, quæ ex aliqua subiecti passione oriuntur aliæ sunt diuturniores, quæ ex permanenti*

B

menti

menti aliqua passione pendent, ut *pallor ex diuturno morbo contractus*, aut *Canities* ex vehementissimo metu contracta; alia vero sunt *breviores*, quæ citius pereunt, quæ nempe extransecanti aliqua passione nascuntur, ut *pallor ex metu*, vel *rubor ex pudore contractus*: inde ortum est discrimen accidentarium inter patibiles qualitates & passiones, quod patibilis qualitas diuturniori, passio verò breviori tempore duret. Eustach. loco supra citato.

XLII. Tandem ad quartam qualitatum speciem refertur *Figura & Forma*. *Figura* est qualitas extrinsecus apparens orta ex quantitatis continuæ dispositione & determinatione. Similiter & *Forma* hic est externa species & configuratio corporis, quæ oritur ex partium materialium dispositione, sive ex ordine, *συμμετρίᾳ* & colore.

XLIII. Variè distinguunt *Figuram & Formam*. Quidam dicunt *Figuram* esse in pictis tantum: Et *Formam* in viventibus, juxta versum:

Formam Viventis, picti dic esse Figuram.

Alii statuunt *Figuram* esse linearum expressionem: *Formam vero esse extrinsecus prominentem colorem*. Quæ sententia videtur verior. Ita enim eadem *qualitas diverso respectu & restrictione, modo Figura, modo Forma dici potest* in omnibus corporibus. *Figura* quidem dicitur respectu lineamentorum seu partium, situs & terminationis: *Forma verò respectu coloris & lucis*.

XLIV. Unde *pulchritudo*, quæ κατ' ἐξοχήν etiam *Forma* dicitur (ut *Formosus* nuncupatur, qui est pulcher) utrumquæ comprehendit, nempe *amabilem proportionem partium corporis*, cum primis faciei, & deinde *εὐχέλιαν*, id est, *coloris suavitatem* sive *εὐταξίαν*, ut docet *Arist. lib. 3. Top. cap. 1. & lib. 1. de part. Animal. cap. 3. libr. poet. cap. 7. & libr. m. Metaph. cap. 3.*

XLV. Quæ quidem verè ita ponuntur: interim adhuc
melius

melius intelligetur res illa, si ita dicatur, quod *Forma sumatur pro figura corporis Physici, sive pro limitatione quantitatis corpori inherens, quæ eadem forma, si Mathematicè abstractatur, vocetur Figura.* Rev. Excell. Dn. D. Jacob. Mart. Exer. Meta. lib. 2. exerc. 9. theor. 6.

XLVI. *Forma & Figura* aut est *naturalis* aut *Artificialis*. Illam ipsa natura rebus attribuit, uti est figura equi, bovis, hominis, cœli, &c. de quibus passim Physici.

XLVII. *Artificialis figura* est, quam Artifex introduxit, ut est forma menæ, scamni, poculi, &c.

XLVIII. *Aliàs ratione Essentia Varias Formæ seu figuræ distinctiones habent Mathematici*, ut sunt lineæ rectæ & curvæ; Circuli, &c. de quibus Geometriam consulent, qui perfectam Figurarum notitiam concupiscunt.

A X I O M A T A.

1. *Qualitates miram habent varietatem effectuum* Phil. lib. 1. Phys. p. 27. Sunt enim quasi *instrumenta formarum substantialium*, quibus hæc varias edunt operationes, variosque producunt effectus. Ut calor resolvit conglaciata, congregat homogœna, Frigus incrassat, condensat &c. Philippus d. l. exemplum adfert de pulvere tormentario. In hoc tria reperiuntur: Carbo tilia, quæ est crassior pars sustinens duo contraria, quæ quasi huic alvo inseruntur, sulphur & nitrum. Tilia est arborum calidissima: deinde sulphur, natura viscosa, aerea & terrestris facile inflammatur & ignem concipit: Nitrum acerrimè repugnat igni, estque ipsum calidum, & vim pellendi singularem habet. Quo exemplo apparet qualitates habere miram varietatem effectuum.

2. *Qualitatis proprium est distinguere substantias inter se, & proprium characterem illis ingerere.* Simpl. in prædic. Quia enim è formâ promanant, idcirco etiam formarum soboles & signa non immeritò censentur. E. ubi sunt diverse qualitates, ibi quoque erunt diverse formæ & consequenter distincta sub-

stantia. Hinc à posteriori quam maximè distinguuntur species per qualitates diversas, ut ita quasi proprium sit qualitatibus distinguere substantias, nempe accidentaliter.

3. *Qualitati contrarietas maximè cognata est.* Simpl. in præd. Et rectè Arist: in prædic. tract. 2. cap. 4. ait: *Qualitati inest contrarietas, non autem omnibus.* Ut calor contrariatur frigori: humidum sicco &c.

4. *Solarum qualitatibus est contrarietas,* scilicet: proprie dicta & per se primò. Aliàs *mediantibus qualitatibus transferri potest ad alia Entium genera,* uti ex Logicis notum est.

5. *Qualitas in latitudine consideratur, nec est indivisibilis ejus substantia.* Johan. Grammat. in 1. de gen. & corrupt. text. 68. Habet enim gradualem latitudinem, ita ut successivè produci queat integritas qualitatis, & continuo intendi, donec ad ultimos summosvè gradus pervenerit: ut calor in aqua generatur non in momento, sed successivè, & una pars integralis caloris post aliam acquiritur.

6. *Qualitas suscipit magis & minus.* Sed non omnis. Quædam enim intendi ac remitti possunt, adeoque gradus perfectionis admittunt: Ut frigus jam est vehementius & intensius, mox iterum est remissum. Interim ad figuram illa extendi non possunt. Et illæ qualitates, quæ sunt in 2. specie, hic excipiuntur.

7. *Qualitatis proprium est simile & dissimile.* Arist. in prædic. quia ob qualitates subjecta denominantur similia & dissimilia.

8. *Ex actibus frequentioribus fit habitus in subjecto capaci,* vel ut rectè Scal. exerc. 307. sect. 4. addit: Ex actionum crebritate, aut ex paucis benè validis habitus creatur, sicut cavitatis in lapide vel à multis guttis, vel à re solida paucis ictibus. Sic sæpè disputando acquiritur habitus disputandi, & sæpè canendo fit Musicus.

9. *Ad habitum acquirendum tria requiruntur, natura, disci-*

disciplina seu institutio & exercitatio. Hinc illa sunt usu trita; ad habitum prævia quædam natura potentia requiritur. Habitum aptitudo naturalis semper & necessario præcedit. Et rectè monet Versiculus:

Tu nihil invita dices faciesve Minervâ.

Porro debet accedere *institutio & informatio. Natura enim excoli debet & perfici. Et insuper exercitatio accedat oportet juxta versiculum vulgarem:*

Solus & artifices qui facit usus erit.

10. *Habitus reddit faciles & hilares ad operandum. Item habitus facile & cum voluptate suo fungitur officio. Et rectè Piccol: grad. 2. Phil. Moral. cap. 7. ait. Signum contracti habitus est facilitas & constantia.*

11. *Habitus difficulter amittitur. Item habitus est quidam $\chi\rho\acute{o}\nu\iota\omicron\nu\ \eta\gamma\ \mu\acute{o}\nu\iota\mu\omicron\nu$. Est enim altè impressus, ut ex definitione habitus innotuit.*

12. *Dispositio est via ad habitum. Scil. est primum ejus rudimentum.*

13. *Dispositio facile acquiritur & facile amittitur. Vel dispositio est $\epsilon\upsilon\mu\epsilon\tau\alpha\beta\omicron\lambda\acute{o}\nu\ \tau\iota\ \eta\gamma\ \epsilon\upsilon\kappa\acute{\iota}\nu\eta\tau\eta$, facile separabilis, facile delebilis.*

14. *Dispositio absq; habitu esse potest, sed habitus nequit esse absq; dispositione, nempe præcedente, quæ in acquisitione habitus præcedit.*

QUÆSTIONES.

I.

An habitus dentur in brutis?

Propriè non. Habitus enim debet inclinare potentiam ad operandum, atque hoc modo eam facilem & promptam reddere. Etenim *finis habituum omnium proximus est operatio & promptitudo ad illam. Rectè Fonseca lib. 5. Metaph. cap. 5. q. 4. sect. 1. ait: Finis habituum non est alius, quam juvare potentiam naturalem in ordine ad actum suum, vel reddere potentias*

faciliores & promptiores, ad certas quasdam & determinatas operationes. Hinc jam apparet, quod illa potentia per habitum inclinanda & facilitanda debeat in se esse indifferens ad aliquid agendum. Ita ut etiam aliter possit suos actus exercere. Recte enim Arist. 2. Eth. cap. 1. monet. Nihil eorum, quae sunt naturae, aliter adsuescit, ut lapis ferri sursum, aut ignis deorsum. Itaque de ratione habitus erit juvare potentiam insitam illam, quae in se & ex se apta est aliter agere: & ita postmodum illam ordinare & inclinare ad speciem actus, qui secundum se aptus erat, ab illa potentia aliter fieri. Quibus suppositis ita concludo.

Quaecumque non possunt inclinari ad actiones peculiare facilius & promptius exercendas: in illis nulli dantur habitus.

At bruta non possunt inclinari ad actiones peculiare facilius promptiusque exercendas.

E. in brutis nulli dantur habitus.

Major constat ex dictis. Minor probatur exinde: quia bruta agunt determinate per potentias naturales ad unum determinatas. Non enim in brutis est vera libertas, neque omnimoda indifferentia ad agendum. Recte Suarez disp. Meta: 46. s. 3. quod bruta in omnibus suis actibus determinantur ad unum ex vi objectorum, prout eis representatur. Quod ipsum probat per singulas partes, tum quoad sensus externos, tum quoad Phantasiam, tum quoad appetitum brutorum. vide ipsum ibidem. Nos ergo concludimus, quod proprie non dentur habitus in potentiis brutorum.

QUESTIO II.

An in Membris corporis acquiratur habitus?

Et hoc negatur. Non enim membra corporis habent in se aliquam indifferentiam aut indeterminationem in operando: sed subjiciuntur superiori facultati; nempe appetitui tanquam deo, cui per naturalem subordinationem obediunt. Et hoc quidem faciunt naturali necessitate. E. nec indigent habitu determinante, nec ejus sunt capacia. Non quidem negamus, *Habitus se exercere nonnunquam per membra corporea*, ut in artibus
bus

bus est perspicuum, sed hoc est, quod negamus *subjectari habitus in corporeis membris tanquam in subjecto proximo & proprio*. Concedimus *dispositionem quandam materiale*, quæ in illis membris acquiratur: sed ea nequaquam est habitus: Verum *pertinet vel ad modos quantitatis, vel ad primas qualitates* vel ad alias, quæ ex illis consequuntur: qualem dispositionem in externis instrumentis sæpè experimur, quando interdum usu & exercitio aptiora fiunt, vel quia perficiuntur quoad figuram, aut quia efficiuntur magis levia aut mollia. Eundem fere in modum statuendum esse videtur *usu & exercitatione membra corporis animalis ad motum reddi aptiora: quod nervi vel laxentur magis vel contrahantur, vel ob aliam similem causam*. Quemadmodum vires nutritivæ consuetudine ad abstinentiam & moderationem adsuefiunt, tantum ob hanc causam, quod vel qualitates primæ remittuntur, vel ipsæmet corporis partes exiccantur, atq; ita magis resistunt, ut accuratè disputat Rev. Excell. Dn. D. Jacob. Mart. in suis Partit. Metaph. lib. 2. sect. 9.

QUESTIO III.

An aliquis habitus possit esse à natura?

Distinctè hinc respondendam putamus. Nam *à natura esse* dicitur illud 1. *quod statim à nativitate inest, & non postea demum acquiratur. Quomodo peccatum Originale dicitur habitus*. Et hoc habitu dicimur *naturà filii iræ, Eph. 2. v. 3. Quod famus, non est*, hoc est, non demum per consuetudinem & iterationem actuum, ut interpretatur Chemnitius 3. part. loc. comm. p. 569. 570. Sic habitus infusi possunt esse à natura h. e. illico à primâ nativitate imprimi. 2. *à natura dicitur esse, cujus potentia vel inchoatio est naturalis*. Sic sanè omnis habitus, qui à nostro studio acquiri potest, à natura inest. Sic *Virtus Ethica* in respectu ad Theologicas, quæ à gratia Spiritus S. infunduntur, à natura esse dicitur. Sic imprimis *prima principia dicuntur naturaliter nota*. Tandem 3. *à natura esse dicitur id solum, quod per emanationem & resultantiam naturalem inest: quodq; immediate per se & proximè dependet*
ab

ab intrinseca rei habituata essentia, ut ita statim conascatur. Quo modo negandum est quod ullus habitus à natura esse queat. Sic enim esset potentia naturalis. Hoc sensu rectè disputat Aristoteles 2. Eth. cap. 1. Perspicuum est, inquit, nullam virtutem moralem insitam nobis esse à natura.

QUÆSTIO IV.

An & quanam Qualitates sint Intensibiles & remissibiles?

In confesso est, quod *quædam qualitates intendantur & remittantur*, ut calor in aqua paulatim per gradus fit fortior; & à tepore transit ad fervorem. Frigus in aere jam est vehementius; jam lenius. Eruditio in hominibus semper magis magisq; auda geri potest. Igitur certum est qualitates recipere magis & minus: *An vero omnes, & quanam sint capaces talis augmenti & Intensionis, disceptari solet. Qua in re dicendū est, qualitates primæ & tertiæ speciei primario intendi & remitti. Nam habituū natura ita est affecta, ut successive per partes sive gradus ejus integritas acquiri possit.* Sic artes & scientiæ non in momento generantur in animo, sed longo spatio temporis quasi crescunt. Ergo *habitus non planè sunt indivisibiles, sed habent quandam latitudinem partium, ratione cujus interdum possunt secundum se totaliter quoad omnem integritatem inesse subjecto: interdum verò saltem secundum partem majorem vel minorem.* Similiter *patibiles qualitates*, uti sunt colores, soni, sapes, odores, & qualitates tactiles, nempe calor, frigus, humor, siccitas, & quæ inde fiunt, intendi & remitti possunt, uti notum est per experientiam. *De reliquis verò, nempe de potentiis naturalibus, & de Figuris aliter statuimus.* Nam in se & per se non sunt capaces alicujus veræ Intensionis: in quantum scilicet emanant immediatè ab ipsa formâ substantiali, quæ in se est indivisibilis. Quod si nonnunquam appareat in illis Intensio aut remissio, *illa fit ob aliud interveniens medium, quod complicantur cum qualitatibus tertiæ speciei.* Actus etiam ipsorum magis magisque juvantur à dispositione temperamenti, & ab habitibus, si sunt immateriales.

Soli DEO gloria in secula & ultra.


AB: 67 $\frac{5}{c, 10}$

ULB Halle
003 357 104

3







B.I.G.

Farbkarte #13

Inches 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19
Centimetres
Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

27

IALIS
HYSICÆ
TIO VII.

TIBUS, EA-
PECIEBUS,

TIBUS,

mi Numinis,
RESIDIO

S SCHARFII,

erstadensis Saxonis,
Philof. Adjuncti,

ENSIUM ACADEMIA

ini submittit
RISTIANI BRAN-
s Marchicus.

t. boris à. 7. matut.
Philosophico.

BERGÆ,
RISTIANI THAM,
ypogr.

DC XXIV.